



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

56. An si quis suscipiat duos Ordines maiores eodem die, incurrat ipso facto suspensionem? Idem dicendum est, si suscipiat eodem die minores Ordines cum Subdiaconatu. Et an hoc intelligatur, non ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

eorum qui scientes peccent, poena propria non afficit.

3. Confirmatur. Cum Pontifex aequitatem tueatur, servetque in iubendo, sic ejus mandata capi debent, ut ea sicut ratio largitur, interpretationis benignitate temperemus. Quare cum quidpiam secus quam temperat, per inscitiam sit, aut necessitatem aliquam gravem, id non debet poenae transgressori- bus positae subesse, quia non est tum improbabile, tum ejusmodi temporibus concedere, ut à prescriptione verborum & lege discedi possit. Deinde quis credat velle eum, ut poenis earumque acerbitate teneatur, qui in legem non commisit? At qui ignorans facit quod illa vetat, ejus violatam proprie non est reus, quam hæc ergo sui transgressori poenam infligit, sustinere non debet.

4. Quid si postea amico pecuniam, quam ille Episcopo sua causa est largitus, rependat? Si id charitate inductus facit, nempe ne amicis doleat, ne rei pro se ordinatori datae carentia damnum ferat, ne ingratus non reddendo dicatur, & audiat, pro certo habeo, à conscientiae aequitatisque lege impetrari posse, ut ei restituatur integra sine crimine. Quod si è contra non amicitiae, non gratitudinis servandae legem habet objectam oculis, sed quidpiam aliud, si quod ista exigit, non refert gratiam, parque acceptis reddere satagit, sed factam causa sua simoniam, restitutione numeratæ pro se pecuniae approbare, ut tunc labe in illum istiusmodi culpæ cadit, ita & quæ illam poenae consequuntur, in caput suum, certumque arcessit salutis suæ ac honoris interitum: ita Navarrus & alii. Hucusque Baunius: cui adde Castrum Palaum tom. 3. tractat. 13. cap. 3. questione 24. num. 3.

5. Sed an idem dicendum sit quoad illum qui beneficium ignoranter simoniace adeptus est, quia amicus pecuniam collatori dedit? affirmativè responderet sapientissimus Lessius lib. 2. de just. cap. 35. dub. 25. num. 144. ubi sic ait: In hoc tamen casu difficultas est; utrum si post obtentum beneficium consentias, solvendo pecuniam per alium promissam, vel refundendo solutam, teneatis resignare beneficium, & restituere fructus perceptos?

6. Ad quam respondendum, si non consentias in factum, alterius ratum habendo contractum, seu promissionem simoniacam amici, sed solum ex amicitia solvas id, quod ipse amore tui dedit vel promisit; ne videlicet ipse tua causa damnum sentiat, non tenetur restituere, imò nec peccas; ut rectè Navarrus libro 5. consil. 10. de simonia probat; illud enim solvere ex amicitia, ne amicus gravetur, non est malum, neque est approbare factum amici: sicut parens solvendo debita filii, quæ ipse malè contraxit, non approbat facta illa, quibus contraxit; sed id facit ex amore filii, ne ipse infamis habeatur. Si verò consentias approbando factum amici, jam incurris simoniam, & teneris resignare beneficium, & fructus restituere; juxta Div. Thomam artic. 6. ad 3. qui id colligit ex dicto cap. sicut ruit. Idem sentit Panormit. & insinuat Navarrus supra.

7. Contrarium tamen, id est, quod non teneatur etiam in hoc casu resignare, docet Adrianus quodlib. 9. artic. 3. littera C. Ratio est, quia illa ratificatio; quæ fit post legitimam collationem, & jure acquisitum, non potest eam inficere, aut simoniacam efficere. Sicut (inquit) si quis pro beneficio sibi gratis collato postea animo mercimoniali pecuniam solveret, non inficeretur, nec irrita redderetur prior collatio legitime facta. Idem tenet Tancredus, ut refert Gloss. in dict. cap. sicut. Nec obstat ratihabitionem retrahere, & mandato comparari reg. 10. in 6. quia id

intelligendum in iis, quæ pendunt à sensu ratiocantis, non autem quæ antea absolute & plenè petita sunt. Similiter non officit dictum cap. sicut, ubi sic habetur; Ex eo, quod contra prohibitionem, & voluntatem tuam (à qua postmodum minime recessisti) aliquis te penitus ignorante, pecuniam promisit & exolvit, nihil debet tibi ad poenam, vel culpam imputari, nisi postea consenseris pecuniam solvendo promissam, aut reddendo solutam; quia hinc nihil aliud sequitur, quam aliquid debere tibi in culpam vel poenam imputari, si consenseris in factum alterius. In poenam, vel culpam, inquit, non autem in poenam & culpam; & quamvis diceret in poenam & culpam, non tamen inde sequitur collationem, vel confirmationem priorem fuisse irritam, aut beneficium debere dimitti: potest enim intelligi de poena ferenda. Hæc sententia videtur mihi valde probabilis. Fateor tamen talem mereri privari per sententiam causa cognita. Et hæc omnia docet Lessius ubi supra quæ valde notanda sunt, possunt enim in praxi facilius occurrere, & de hac difficultate à me etiam alibi dictum est. Vide tamen Castrum Palaum ubi sup. punct. 25. in 3. num. 3.

RESOL. LVI.

An, si quis suscipiat duos Ordines majores eodem die incurrat ipso facto suspensionem?

Idem dicendum est, si suscipiat eodem die minores Ordines cum Subdiaconatu.

Et an hoc investigatur, non solum quando quis sumeret duos Ordines eodem die naturali, sed etiam eodem die juris fictione Canonica?

Et an Episcopus possit simul Ordines minores cum Subdiaconatu conferre, ubi vigerit de hoc Constitutio ante Concilium Tridentinum? Ex p. 5. tract. 10. Resol. 36.

§. I. Affirmativam sententiam docet ex Navarro Turrianus de cens. lib. 5. disputat. 46. dub. 1. ubi sic ait. Prædicta suspensio sumitur ex cap. litteras, de tempore ordin. circa quod caput dubitari solet an ibi sit lata ipso facto suspensio, vel imponente ferenda? Et communis sensus videtur assertentium esse suspensionem latam. Ita ille, qui hoc intelligit non solum quando quis sumeret duos Ordines eodem die naturali, sed etiam eodem die juris fictione canonica, v. g. prohibitum est die Sabbati unum Ordinem suscipere, & alium die Dominico matutino tempore, etiam servato jejuniis Sabbati; talis enim dicitur unus dies juris fictione, & sumitur ex Leone Papa epist. 79. capite 1. & habetur cap. quod à Patribus 75. dict. & hoc etiam docet Bonacina de censuris disputatione 3. punct. 1. §. 1. numero 4. si suscipiat * eodem die minores Ordines, cum Subdiaconatu.

2. Verum contrariam sententiam securam esse docet Suarez de disputat. 31. sect. 1. num. 41. & idem docet Villalob. in sum. tom. 1. tract. 18. diff. 1. num. 7. ubi sic asserit. [El que se ordenasse de dos Ordenes el primer día, tiene pena de suspensión, como consta de un texto en aquellas palabras, ab executione officii sacerdotalis tamdiu volumus manere suspensum, donec de illo aliter disponamus, y dudam los Doctores si estas palabras contienen suspensión ipso jure, o solamente ferenda, lo qual dexo en duda. Pare norm. Navar. y dize, que es ipso jure, y la llama irregularidad en otra parte, y Suarez dize, que es sola censura ferenda, cuya opinion se puede seguir en practica.] Hæc ille.

3. Notandum

Sup. hoc inf. in tr. 7. lege latam doctrinam ref. 31. per tot. & alterius §. ejus annot.

3. Notandum est etiam hic obiter contra Venerum in Exam. Episc. lib. 1. cap. 18. n. 13. Majolum de Irreg. lib. 4. cap. 11. num. 1. Menochium cas. 564. de arbit. n. 8. & alios, quod Ordines minores cum Subdiaconatu poterit Episcopus simul conferre, ubi vigeret de hoc consuetudo ante Concil. Trid. Ita Villalobos tom. 1. in 1. diff. 12. an. 3. Hieron. Rodriguez in compen. q. reg. ref. 106. n. 21. Alzedus in praxi Episcop. p. 2. cap. 5. n. 24. Gutierrez in q. Can. lib. 1. cap. 26. n. 31. & 32. Valac. in allegat. 4. num. 2. & alii.

RESOL. LVII.

Quidam relictis Ordinibus minoribus Subdiaconatu recepit, quaritur, an suspensionem incurrit, & inhabilitatem ad alios suscipiendos, & irregularitatem, si ministrat in Ordine suscepto? Ex p. 5. tr. 10. Ref. 47.

§. 1. Videtur respondendum quoddam sic, ut ego alibi probavi; nam penas impositas illis, qui ordinantur per saltum, dicunt Doctores, esse suspensionem ad non exercendum Ordinem susceptum, & inhabilitatem ad alios suscipiendos, & irregularitatem, si ministrant in Ordine suscepto: ergo talis in predictas penas incurritur dicendum est.

2. Sed contrarium probabiliter sustineri potest. Favet huic dicto Navarrus consil. 18. de sentent. excom. a. num. 11. usque ad 15. ubi ait, quod recipiens Ordines minores existens excommunicatus, non incurrit irregularitatem ad alios recipiendos. Quod probat primo, quia iura loquuntur de male promotis, quae ibi citat, loquuntur solum de male promotis ad Ordines sacros, non vero de male promotis ad Ordines minores. Secundo, quia minus peccant isti, quam illi. Tercio, quia iuxta opinionem multorum facis probabilem, quos ibi citat, Ordines minores non sunt sacramenta, sed sacramentalia, & proinde non est eadem ratio puniendi promotos per saltum in Ordinibus minoribus, ac in majoribus. Quarto, quia Bulla Pii II. puniens ordinatos ante legitimam aetatem, vel extra tempora, vel sine licentia dimissoria, non punit sic ordinatos in minoribus, sed in majoribus Ordinibus. Quod ipsum ego colligo ex duobus textibus loquentibus de promotis per saltum. Primus est in cap. sollicitudo, dist. 5. 2. qui solum loquitur de illo, qui suscepit Ordinem Diaconi & Presbyteri, omisso Ordine Subdiaconi. Secundus textus est in cap. unico, de Clerico promotus per saltum, qui solum loquitur de Subdiacono, qui omisso Ordine Diaconi recepit Ordinem Sacerdotis, & nullus ex his loquitur de saltu in Ordinibus minoribus; unde videtur, quod accipere majores, omisso minoribus, non sit proprie ordinari per saltum, maxime quia penas sunt restringendae, idque praecipue quando militat diversa ratio, ut hic militat, juxta Navarrum, quia scilicet Ordines minores non sunt sacramenta, & circa illorum omissionem committitur minus peccatum. Semper tamen dico hunc peccasse gravissime, & teneri ad suscipiendos Ordines minores. Haec Pottel in respons. part. 3. cas. 41. quest. 2. num. 3.

RESOL. LVIII.

An Ordinatus per saltum incurrat ipso facto suspensionem?

Et quomodo promotus per saltum sit impediens ad suscipiendos Ordines suscipiendos, an hoc impedimentum sit irregularitas, & si irregularitas sit, an illam Confessarius approbatus possit per Bullam dispensare?

Et an cum promotus per saltum possit Episcopus dispensare, ut praetermissum Ordinem suscipiat, & in Ordine ministrare?

Tom. V.

le suscepto ministrare, & ad superiores ascendere? Et an Episcopus possit dispensare etiam post administrationem in male suscepto Ordine, si administratio fuit ex ignorantia? Et tandem quaritur, an hac suspensio tolli possit per Bullam Cruciatam? Ex part. 5. tract. 10. Ref. 47.

§. 1. Esse talem suspensionem ipso jure ab Ordinis suscepti administratione, tradit Hostiensis & Panormitanus in cap. un. de Cler. per saltum promotus. Cornejo in 3. part. tract. 5. de suspens. disp. 4. cas. 4. Navarrus cap. 27. n. 242. ver. sexto. Martinus de Ledesma 2. 4. quest. 26. art. 2. de irregul. pag. 366. Sotus in 4. distinct. 25. quest. 1. art. 4. post conclus. 4. §. Tertius. Sebast. Medices part. 2. tit. 9. quest. 35. ver. 7. Vivald. de suspens. num. 48. Summa Corona tract. de irregularit. num. 19. ver. Tertio. Philarchus de offic. Sacerd. lib. 4. c. 12. n. 5. Zerola in praxi Episcop. part. 1. ver. dimissoria §. 3. & 4. Majolus lib. 4. c. 12. num. 1. Sayrus in thesaur. lib. 7. c. 10. num. 39. Henriquez lib. 6. de irregul. cap. 13. n. 5. & lib. 14. c. 6. num. 3. Toletus lib. 1. summa cap. 50. num. 17. Valentia tom. 4. disp. 7. quest. 19. punct. 3. §. 5. Suarez de cens. disp. 31. sect. 1. dub. 2. concl. 2. Probatur haec opinio ex cap. sollicitudo, dist. 5. 2. ex cap. un. ubi supra, & ex Concilio Trident. sess. 23. cap. 14. de reformat.

2. Non desinam tamen hic adnotare cum Acugna in Decreto Gratiani, part. 1. distinct. 5. 1. c. 1. num. 9. contrariam sententiam esse probabilem, scilicet talem non esse ipso jure suspensionem ab Ordine male sumpto, sed suspendendum; tenent hic Archidiaconus Geminianus Prapoli. & Turrecrem. Innocent. in cap. si celebrat. de Cleric. excommunic. ministr. Angel. ver. Irregularitas, num. 36. Tabiena ver. Irregularitas §. 4. 2. concl. 5. Armilla ver. Irregularitas num. 68. Fundatur, quia ex nullo textu talis suspensio ipso jure colligitur ut bene expendit Suarez d. disp. 31. sect. 1. n. 4. licet ipse affirmativam sententiam teneat.

3. Notandum secundo, quod licet promotus per saltum sit impeditus ad superiores Ordines suscipiendos, hoc impedimentum non est irregularitas. Ita ego * alibi, & expressè Avila de cens. part. 7. disputat. 9. sect. 1. dub. 2. concl. 1. & si irregularitas esset, illam secundum Ludovicum à San Juan in sum. de Sacrament. Ordin. q. 2. art. 5. dub. 1. diff. 6. concl. 3. posset Confessarius approbatus per Cruciatam dispensare.

4. Notandum tertio contra Zerolam in praxi part. 2. ver. Irregularitas, dub. 3. quod cum sic promotus per saltum potest Episcopus dispensare, ut praetermissum Ordinem suscipiat, & ut in Ordine male suscepto ministrare, & ad superiores ascendat, quamvis delictum sit publicum, dammodo talis in male suscepto Ordine, vel in praetermissum non ministraverit ante dispensationem: quia tunc jam sit irregularis. Et ita docet Majolus lib. 4. de irreg. cap. 12. n. 2. Navarrus in Mag. cap. 25. n. 71. Emanuel Rodriguez 2. p. summa cap. 17. num. 9. Sayrus lib. 5. cap. 14. num. 26. & 29. Henriquez lib. 14. cap. 6. num. 3. Suarez de cens. disputat. 31. sect. 1. numer. 51. Avila de cens. part. 7. disputat. 9. sect. 1. dub. 2. §. Sequitur Secundo. Fundamentum est, quia Tridentinum ita concessit cum hac limitatione Episcopis sess. 23. de reformat. cap. 14. Ampliat hanc doctrinam Navarrus, ut possit Episcopus dispensare etiam post administrationem in male suscepto, si administratio fuit ex ignorantia, cum quo sentit Toletus in sum. lib. 1. cap. 50. num. 17. citans pro se Panormitanum & gloss. hic & c. pastoralis, de Sacram. non iteran. Sed dicendum nunquam Episcopum dispensare posse, ubi talis fuit administratio, quae irregularitatem induxerit, ita Doctores pro conclusione citati & specialiter Suarez num. 52. Tolet. ubi proxime num. 18. quamvis dicat probabile esse posse Episcopum cum administrante scienter in

R. 2 Ordine

* Alibi in tom. 4. tr. 3. Ref. 130. &c. & lege §. not. leg. hujus Ref.

Sup. hoc in tom. 4. tr. 3. Ref. 131. §. Idem, &c. & hoc lege Ref. not. 1. post seq.

Sup. hoc in Ref. seq. cum sum ad l. 3.

Sup. hoc in fra in Ref. 60. & lege §. not. 1. hujus not.